B. N. C.
FIRENZE
1062
2

Mus 1056.2

MISCELLANEA
BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1056
2
II
AR
6

XVII
MASCAR

LUDOVICO MAGNO,

GALLIARUM, ET NAVARRÆ

REGI CHRISTIANISSIMO,

PANEGYRIS.

Auctore Illuſtriſſimo, & Generoſiſſimo Domino D.
FRANCISCO MASCAREGNAS, Comite
Coculini, à Conſilijs Sereniſſimi Petri
Secundi Portugalliæ Regis.



1872

PARISIIS,
Apud JOANNEM DE LA CAILLE, viâ Jacobæâ ad
inſigne Prudentiæ.

M. DC. LXXXIV.

1056 2



LUDOVICO MAGNO,

GALLIARUM, ET NAVARRÆ REGI CHRISTIANISSIMO,

PANEGYRIS.

HActenus Auguſtos thalamos; annexaque claris
Stemmata fœderibus, pacemque adamante ligatam,
Unde datæ populis leges; qua lampade flexit
Allobrogum Venus alma Ducem; quo denique pacto
Auriferis electra Tagi miſceret arenis
Eridanus, cecinit fidibus mea Muſa remiſſis.
Tunc è pumiceis glaucas Nereïdas antris,
Et virides Nymphas fuerat mihi blanda roganti
Elicuiſſe ſatis; Dryadaſque avertere ſilvis,
Et facilem molli Venerem deducere Cypro.
At nunc armatæ quærunt nova carmina laudes:
Claſſica nam, lituique truces, clangorque tubarum
Obſcurant placidos, quos edit tibia cantus.
Jam mihi Pieridum vocalibus abdita lucis
Fortiùs antra ſonant: docti jam largiùs amnes

Parnaſſi de rupe cadunt ; ſolitóque remugit
Plus Lycij cortina Dei. Procul abſit Amorum
Vulgus iners : Paphioſque feri tentoria Martis
Excipiant thalamos , tediſque jugalibus arma,
Claraque luteolo ſuccedat adorea velo.
Te, LODOICE, canam. Regale modeſtia culmen
Verſibus inclinet : nec enim, Rex magne , pigebit
Poſt ſtrepitus te defeſſum , belliqueˈlabores ,
Victrices Latijs curas laxare Camœnis.
Ergo, dum tumidum terrent tua tela Leonem
Quem malè defendunt Hiſpanæ clauſtra Pyrenes ;
Auſtriacaſque Aquilas glacialem pellis in Arcton.
Dum nova formidant armatæ fulmina dextræ :
Dum Gallos pax alta tenet, populique reguntur
Legibus ; & mores formant meliore metallo
Secula : manſuris certo dum fœdere Regum
Cedis amicitiis (nec enim Mars ipſe ſeverâ
Semper fronte placet) timidis dignabere Muſis
Illam, qua terres orbem , protendere dextram.
Tuque decus juvenum, magni ſpes altera regni,
Ipſe mihi, DELPHINE, veni : tu grande Latinæ
Præſidium veneris, Grajæ tutela Minervæ,
Vindice quo, doctæ reſonant oracula rupes,
Priſcaque Romanæ vireſcit gratia linguæ :
Seu tibi militię libeat dare nomina noſtrę,
Libera ſeu certis currat facundia vinclis,
Adſis ô ! placiduſque meis adlabere cœptis,
Orbis amor, mens rapta tui jam numinis auram
Sentiat : & noſtrę tibi ſerviat impetus artis.
Tu vati monſtrare viam, tu pandere perge
Facta Patris, bellique modos ; nam Lucifer ibas
Adjectus Phœbo : primoque à limine vitæ

Horriſonos inter lituos, & claſſica nutrix
Te fovit: clypeique truces, ac pila fuere,
Et galeę, & ſævę tibi prima crepundia criſtæ.
Vidimus & nuper veſanæ mœnia Dolę
Ad vultum trepidaſſe tuum, cùm cæde calentem
Intentans gladium, rabiem, ſtimuloſque furoris,
Addideriſque tuos Gallis flagrantibus ignes:
Non ſecus, ac, cùm ſanguineo feralis Enyo
Verbere bella jubens, vel cum Mars ægide ſævâ
Inſtigans, celeres rapiunt in prælia currus.
Quamvis bis nonus nondum mihi venerit annus,
Vixque genas primâ lanugine veſtiat ætas,
At Deus auctor adeſt; modò votis maxime Princeps,
Subſcribas; præſenſque favor juvenilibus auſis
Præſtet opem, rutilum jam jam ſecurus ad axem,
Te pręeunte ferar; totumque per æthera raptus
Inclyta facta patris; mox te majore paratu
Moliar: & veſtro vivam ſub nomine vates.

Nuncia votorum ſuperos it Fama per orbes
Te natum, Rex magne, canens, quo præſide, quondam
Languida ſedatis reſpiret Gallia flammis.
Nec mora laxatur cœlum, rutilæque pateſcunt
Sponte fores: gemini ſeſe volvente, triones
Agglomerant plauſtro: currum ſeptena planetæ
Numina conſcendunt: primam Latonia ſedem
Obtinet: hinc Hermes, roſeo Venus aurea vultu
Inde micat: radijſque jubar cæleſte coruſcis
Explicat in medio Titan: Mars caſſide tectus
Ante Jovem ſedet: aurati Rex arbiter ævi
Poſtremus facili currum temone gubernat.

Aſt ubi Francigenum magna ſuper urbe pependit
Læta cohors Superûm, petit alta palatia Regis,
Et tua feſtino quærit cunabula greſſu.
Aſtitit, acclinisque toro Patareus eburnum
Barbiton explorat, digitiſque loquacibus urget:
Ingentique ciens tandem modulamina Musâ,
Præſcia fatidicis recludit vocibus ora:
Salve, magne Puer, felicibus edite fatis:
Salve, grata Deûm ſoboles, cui ponere mundo
Jura datum: magni decus immortale parentis:
Cui nihil è tantis illuſtrius extitit actis,
Quàm tuus eſſe pater: minus eſt domuiſſe Britannos,
Indomitum frænare ſalum, rabidique furentes
Frangere Neptuni congeſtis molibus iras,
Quàm talem genuiſſe. Salus, te Principe, rurſum,
Et lęti miſeris veniunt mortalibus anni.
Salve firma meis jactatis ancora Gallis.
O natum imperiis puerum! non Francia tantùm
Fortunæ ſit ſumma tuæ, licèt uſque ſub Arcton
Abdita ſit regio, qua ſtringunt flumina brumæ:
Vel calidi poſt terga Noti flagrantibus Euris
Æſtuet: auratas-ve premat licet incola felix
Aurorę Zephyrique domos, jam poplite flexo,
Omnes te dominum juxtà venerantur, amantque;
Quilibet ecce tibi penetralia ſancta Deorum
Jam reſerare cupit: tibi clauſi dona pateſcunt
Interiora poli: ſuperos tibi prodigus ęther
Theſauros præbet; totum ſe præbet Olympus.
Saturnus prior ecce tuo ſub pectore ſedes
Collocat, & varios tibi ſe diffundit in uſus.
Hic docet utilibus rectum pręponere, nequid
Imprudenter agas, mores, arteſque regendi

Expediens, odiſſe malos, errantibus ultro
Parcere; nec ſpeciem fraudi prętendere; certos
Sed vultus, animóque pares componere ſuadet.
Hic monet æquali meritum perpendere librâ:
Hic non pręcipiti rerum momenta tuarum
Ducere conſilio: non hic injuſta probare
Murmura; nec vanis avidas rumoribus aures
Pandere; ſed populos ſolâ virtute fovere
Dat tibi, divinumque tuis dat gentibus ęvum.
At pater ipſe Deûm, rector quoque maximus orbis
Imperium ſine fine tibi, ſtabilemque coronam
Annuit, haud rerum metas, haud tempora ponens.
Hoc duce regnabis felix; hoc ipſe, magiſtro,
Fortunam virtute premes, & fata domabis.
Adde quòd argenti tantum tibi pondus & auri
Ipſe dabit, quantum nec dives Creta Metello,
Nec dedit eximio Cyprus vaſtata Catoni,
Nec Pompeïanis congeſſit Roma triumphis.
Nec tu divitias tenebris damnabis avaris,
Sed denſo tua larga manus fœcundior imbre
Dividet in populos: qua te virtute ſupernos
Uſque Deos rapies, & qua penetrabis Olympum.
Corde tuo Mars templa locat: te numine totum
Poſſidet, & dignis implet tua pectora curis.
Edocet hic conſtans, inconcuſſumque periclis.
Objectare caput; nullâ formidine mentem
Flectere: quantumvis vertatur machina mundi,
Everſóque ruat diſciſſum cardine cœlum,
Jam jam labentes ſtantem ſpectare ruinas.
Hoc rectore, prius, quàm ſis in pulvere miles,
Ductor eris: telumque micans, galeamque comantem
Jam parat ipſe tibi; melioraque deſtinat arma,

Quàm Cypris dedit Æneæ, quàm Tethys Achilli.
At Cytherea tibi divinæ munera formæ
Præbet; & inviſum terrorem temperat, acri
Alternans cum Marte vices, frontiſque ſerenat
Nubila, ne feritas in te dominetur & horror.
Miſcetur terrore decus: jucunda ſeveram
Amovet invidiam Regalis gratia vultus:
Sic florent ſpineta roſis, auróque politæ
Miteſcit feritas galeæ: ſic ignea noctu
Sidera clareſcunt: nitidis ſic lethifer enſis
Stellatur gemmis, placatâ & cuſpide vernat.
Mercurius, certo geminum qui fœdere mundum
Alligat, abjectus Regalis ad oſcula plantæ,
Communis faciens vitæ, mortiſque potentem,
Dat tibi cœleſtis fatalia munera virgæ.
Hic jam ſublimes ingentis ferre per auras
Juſſa patris, Ditiſque negat, non ampliùs ulli,
Quàm tibi, parebit, famulis nec ſerviet alis.
Candida ſidereæ moderatrix Delia noctis
Summittit tibi regna libens: te fratre relicto,
Læta coruſcanti gaudet ſub ſole renaſci.
Hæc maris imperium præbet, ſævumque tridentem,
Neptuno cedente tibi tua numina ſupplex
Nauta colet: totumque tibi famulabitur æquor.
Nil ego, magne Puer; nec enim mihi priſca tenere,
Te nato, jam ſceptra licet. Moderamen equorum
Indulget Fortuna tibi, tua juſſa, tuumque
Imperium velox Auroræ nuncius Æthon
Accipit, atque tuis mavult parere lupatis.
Tu curis ſuccede meis; tu, maxime Princeps,
Ingredere, & Cyrrhæ tibi debita regna capeſſe:
Tu rege fatidicas rupes, Pindique receſſus

Solus: & Aonij divinus carminis auctor
Vatibus inſpira; qui jam tua dicere facta
Exultant, primis & te mirantur ab annis.
Dixerat, & ſupplex adolevit maſcula ſacris
Thura focis, plenâque favens veneratus acerrâ eſt.
Tum gemini plaudente poli fremuere tumultu,
Et tellus reſpondit ovans: unóque favore
Aſſenſere Dei. Rerum cui ſumma poteſtas
Jupiter intonuit lævum; mutabile nunquam
Pondus adeſſe jubens, ſed fata ſequentia dictis.
Tum Rhodano ſubriſit Arar, tunc ebrius uda
Sequana florentes invexit vina per agros.
Dulcibus è ſtagnis: Ligeri plaudente, Cadurcus
Fluxit; & oſtrifero ponens cum Santone Rhenus
Murmura, non latices, ſed munera dulcia mellis
Edidit, & liquido perfudit nectare ripas.
Tum preter ſolitum mulſerunt cantibus auras
Cecropiæ volucres, & ovantes gutture cycni:
Tunc decus & nemori, tunc addita gratia prato,
Lętaque purpureis riſerunt floribus arva.
Largius & ſueto cœli clementia terris
Indulſit fatóque dies meliore notavit.
En laxat jam terra ſinus; injuſſa vireſcunt
Gramina: nec ſolem nimium, nec frigora ſentit
Cultus ager: tumidis veniunt feliciùs uvæ
Collibus, & ſubitis animatur frondibus arbor.
Tunc Lyſius, ponto (ſic fertur) ſtagna, refuſo,
Intumuit pretioſa Tagus, ſtriditque metallo
Unda ſonans, tanquam jam jam pulſura Philippos:
Namque erat in fatis ſidus ferale tyrannis
Te fore: quo genito, cum bis ſe volveret annus,
Ductor Luſiadum revocato à ſanguine Regum

Aſſereret patriam, Francis comitantibus armis.
Tum fera majori ſummiſit Rhætia cautes
Annibali: timuitque novum Germania Druſum.
Flebile tum gemuit; qui ſidera ſuſtinet, Atlas,
Subſeditque, jugis nutantibus, Appenninus.
Quin etiam totam, numen confeſſa, Pyrene
Indoluit non eſſe tuam: qua vergit ad Auſtrum
Mœret, at Arctoâ gaudens in parte triumphat.
Et malè defenſus fluvijs, pelagóque Batavus
Diffidens; pallenſque metu piger accola Bætis
Tanquam peſtifero gemuerunt ſidere tacti:
Non ſecus, ac roſeos cum Lucifer explicat ignes,
Adventante die, cogit nox atra tenebras
Attonitas, ſoliſque noviſſima pallet ad ortum.
Non cunas humana tuas, Rex maxime, nutrix
Promeruit, ſed prima tibi dedit ubera Pallas,
Et nectar pro lacte fuit: Te mollibus ulnis
Sæpe gerens, quamvis puerilia poſceret ætas,
Attamen ipſa jocis belli ſimulacra cruenti,
Lætaque venturi permiſcens omina regni
Terribilem molli ſuſpendit & ægida collo,
E ſceptrum manibus, voti feſtina, tenellis
Implicuit, fulvóque caput diademate cinxit.
Mox rigidâ teneros exercens indole mores,
Jam facilem cunctas gladium vibrare per artes
Te docet: Immenſi tantâ ſub teſte labores
Ludus erat, requieſque tibi: jam tendere contum,
Duraque ſanguineis inflectere colla lupatis
Cornipedi; molleſque fugas, ſubitoſque recurſus
Fingere gaudebas, centenoſque orbibus orbes
Volvere: jam validis intendere cornua nervis,
Certáque felici venabula ſtringere niſu.

Ipſa

Ipſa per umbroſos ſaltus, per luſtra ferarum
Avia deduxit juvenem, dextramque volanti
Inſtruxit jaculo. Gradiens contemnis inermes
Montanâ de plebe feras: non perdere damis
Spicula, nec vili paſci venabula morte,
Sed juvat informes turbare cubilibus urſos
Terrorem nemoris; vel, non peccante ſub haſtâ,
Sollicitare ſuem, geminum cui fulmen ab ore
Exit, & obliquis ardeſcunt lumina flammis.
Non animum torpere ſinit, nec inertia Diva
Otia permittens, transfert te Martis ad artes:
Jam calidum tolerare jubar, brumæque docebat
Frigora lenta pati, vigiles traducere noctes:
Ordine caſtra locis juſto conſtantia certis
Figere; turritum foſſæ ſuperaddere vallum:
In pugnam rigidos modò circunferre maniplos,
Et turmale modò deducere cornibus agmen.
Scis quo more Getæ, qua pugnent arte Geloni;
Qua Lyſius, qua Belga ferox, qua militet Anglus.
At neque Parthorum refugus te præterit arcus:
Quis longè jaculis; quis cominus aſpera contis
Bella gerat: doctas Medus quî flectat habenas,
Nullaque pugnantis fallit te Martis imago.
  Quis dignè referat ſub Divâ quale magiſtra
Jam tibi creſcenti ſtudium, quantuſque ſciendi
Ardor erat! jam mente ſenis præverteris annos,
Nec quicquam vulgare ſapis: Romana vetuſtas,
Hac duce, Cecropięque patent arcana ſenectæ
Priſtina: ſic totum retro tibi panditur ævum.
Magna tibi claros proponit Roma ſequendos
Vel bello, vel pace viros. Audacia quæris?
Mutius, attonitum cujus decepta tyrannum

Vicit in igne manus: nec non, qui ponte catervas
Suſtinuit nutante, Cocles, dum tecta ſub uno
Stat clypeo Romana ſalus: conſtantia? Marcus
Immotâ te mente Cato: ſi fortia? Paulus
Te rapit: infidis rapiunt fatalia Pœnis
Nomina Scipiadæ. Tibi celsâ Manlius arce,
Auguſtuſque placet Cæſar: quinquennia ſævi
Prima Neronis amas, poſtremos deſpuis annos.

Non tu, quæ ſolâ recreant dulcedine mentem,
Aſt imitanda legis. Muſarum melle latentes
Scrutaris mores, & Martia facta virorum.
Te retinet vivens Andini carmine vatis
Troïus Æneas, humeris qui ſacra, patremque
Altera ſacra tulit: retinet Chironis alumnus,
Ardua Mæonio contingens ſidera plectro.
In Cyro tibi cuncta placent, quod Regibus auctor
Objicit exemplar Xenophon. Si cætera volvis
Græcorum monumenta ducum, quos maſcula fatis
Eripuit virtus, te Pyrrhus detinet ingens,
Et duraturæ pignus memorabile famæ
Pellæus juvenis. Libuit ſi noſcere quantis
Accendat ſtimulis alienæ gloria laudis,
Occurrunt multum generoſis livida curis
Ora Neoclidæ, cui noctes ducere ſomno
Inclyta Miltiadis non permiſere trophæa.
Occurrit, capulo gladij ſervatus eburno,
Theſeus, Herculeos avidus perferre labores.
Nec minus annales, & proxima tempora volvens
Et gentis monumenta tuæ proavûmque labores,
Te, Marcomiri, Pharamundus, clarâ moratur
Progenies; cui prima tuum fundamina debet
Imperium, nec te manſuræ conſcia legis

Præterit unda Salæ, delapſaque Lilia cœlo
Intentum revocant animum duo Martia Carli
Fulmina, Pipinuſque ferox acerque Capetus
In primis ſed magnanimum te diſcere patrem
Diva jubet: ſimilemque tui cognomine Magnum
Monſtrat avum, toties Mavors cui nuper in armis
Ceſſit, & illuſtres ambivit laurea currus.
Te doctrinarum fons ad civilia vertit
Magnus Ariſtoteles. miraris ſacra Platonis,
Sed non cuncta probas: nam, quæ vis ignea mentis
Finxit, & experiens tentando reſpuit uſus,
Dedecorant Reges, hominumque negotia ludunt.
Non ſecus, ac nactę ſi quando florea rura,
Ver populantur apes, caſiamque crocumque rubentem
Ore metunt: ſed cùm taxos mœſtaſque cicutas
Invenere, volant, & paſcua dira relinquunt:
Sic tu legiferi ſequeris meliora Lycurgi,
Deteriora fugis, reſperſum cæde Draconem
Carpis, & humanum ſitientia jura cruorem.
Gratior Actæi tibi viſa eſt cura Solonis,
Dum Pandionias ſcriptis moderatur Athenas.
At levis abjicitur Phaleæ concordia diſcors,
Infima qui ſummis æquans viburna cupreſſis,
Purpureos inter proceres, vulguſque protervum
Eſſe nihil medium ſtatuit. Mox diſcere gaudes
Stellarum, cælique plagas: ſervator Olympi,
Terrarumque ſciens, toto ſimul uteris orbe.
Non te devexas finitor circulus oras
Celat; & adverſus tibi non immergitur axis.
Diſcis & ut tumidus picto volet Eurus ab ortu,
Spiret ab occaſu Zephyri clementior aura,
Ut medio de ſole ferox denſetur in imbres.

Auſter, & Arctoo Boreas diſcurrat ab axe:
Quæ facies converſa poli eſt; quæ nubila cauſſa
Gignat; & humani quæ conſcia ſidera fati:
Qua vi juncta ſibi coëant elementa per ævum,
Et cita perpetuo quo vivant æquora motu.
Non tantum patrios ſatis eſt noviſſe penates,
Quos habitas, qua vivis, humum; qua Gallia triplex
Surgit, & infuſo diducitur Anglia ponto,
Aſt animo terras, & diſſita flumina luſtras:
Quos campos Germanus arat; qua, flexibus errans,
Explicat alta Padus taurinâ cornua fronte:
Quos Ligures, Venetique lares, quos acer Etruſcus
Incolit, & Latij qua Tybridis accola regnat:
Qua regnat ventoſus Iber, qua Lyſia claros
Progenerat fęcunda viros, ubi mergitur undis
Feſſa dies. Nec te Geticos patientia raſtros
Arva latent; mæſti nec rapto vellere Colchi:
Nec Pontus, genteſque feræ per utramque vagantes
Armeniam. Nec non Phorcynidos arva Meduſæ
Cernis; & infames naturâ deſide terras.
Noſcis qua totam Riphęo è vertice pręceps
Europam Scythicis Tanais diſterminet oris:
Et quantùm rapido diſtent à Tigride Rhenus,
Nilus ab Eridano, dives Mæotide Ganges.
Jam Pelagi rimaris iter, jam mente pererras,
Qua bonus Æneas petijt fatale Latini
Littus, & in patriam tardè remeavit Ulyſſes;
Et qua non tacti violavit jura profundi
Primus, qui potuit tabulas animare loquaces.
Aſpicis &, toti faciens commercia mundo
Qua Gama purpureos aditum vulgavit ad Indos
Vaſcus & ignotum reperit Capralius orbem,

O pudeat Reges; quæ nunc eſt gloria ſceptri,
Scire nihil! cùm tu varias ſub pectore voces
Condis, & omnigenæ calles commercia linguæ
Te Germanus ait Germanum; dicit alumnum
Anglus; & in medijs ortum te credit Etruſcis
Italus; Hiſpanis nec non Hiſpanus haberis.
Sed quid plura? tenes ſic terras, æquora, linguas,
Ut terræ, pontique vagus penetrare receſſus,
Nec duce, qui præeat, nec egens interprete, poſſis.

O mihi ſi liceat titulos ęquare canendo,
Heros magne, tuos! citiùs ſed Caucaſon Oſſæ
Jungere confidam, ſociareque Pelion Æmo,
Et ſi ſumma ſequar tantùm faſtigia rerum,
Qua dignum te laude feram? ſtatione peractâ,
Qui, poſtquam genitor radianti ſidere cœlum
Auxit, & æthereâ ſedem ſibi legit in arce,
Ancipites caſus, & cuncta negotia ſolus,
Imperijque vices, quamvis puerilibus annis,
Erectâ cervice ſubis: nec Gallia ſentit
Antiquam mutare novo ſub Principe ſortem:
Nam carum gemeret quantumvis ſquallida Regem,
Regem, cui Pyliæ voluiſſet fata ſenectæ,
Attamen immenſo ſolatur fœnore luctum:
Sic Macetum terris erepti damna Philippi
Penſat Alexander; ſic Nervæ in funere Roma
Principe Trajano lacrymas ditata reſorbet.
Sed quia vix fueras quintas transgreſſus ariſtas,
Mollia nec duros paterentur membra labores
Durus Iber; vultuſque feri ſumpſere minaces
Germani: tunc arma furor, rabieſque, ſceluſque
Prębuit, & miſeris belli revocavit amorem.

Sed fruſtra tumuere minæ : nam, cujus in armis
Magna probabatur præſtanti robore virtus,
Enguieno committis opus, qui ſternat Iberos,
Bacchantemque ſuos Germanum pellat in agros :
Non aliter ſummus quondam regnator Olympi
Cùm fera centenis armaret bracchia centum
Montibus Enceladus Superos in bella laceſſens,
Impia fulmineo mandavit prælia Marti.
Nec te fama Ducis, nec ſpes concepta fefellit
Longævos, regni vigilantia lumina, Patres :
Nam volat, & quacunque viam ſecat, incubat uſque
Borbonius, dum ſiſtentem vel deleat hoſtem,
Cedere vel retro converſis cogat habenis.
Quin etiam fractis nudantur & oppida muris,
Et prædæ damnata patent : te, Regia-rupes
Teſtor, & undantes Hiſpano ſanguine campos.
Jam Tiovilla tuum, confertis horrida telis,
Accipit imperium : jam, quod Sabis alluit unda,
Non tua Malbodium tormenta vomentia lethum
Suſtentare valet : patientes omnia jam te
Demiſſâ cives dominum cervice fatentur.
Auſpice te, quicquid gelidas interjacet oras
Iſtius incurſu tremuit. Modoëtia portas,
Spiraque victori, licet indignata, recluſit.
Et qui ſponte ſuâ Gallos in bella laceſſit
Hoſtis, & occiſos merſurus pulvere jactat,
Stat trepidus, dubiuſque ſuâ diſcedere terrâ
Neſcit & inviſis nullam ſpem ponit in armis.
Ipſi Ductores trepidant : nec Martia Galli
Ora Ducis perferre valent, nec ſiſtere contrà
Ampliùs : ut, dentes ſi quando fulmineus ſus
Exacuit, cœnoque fricans obduruit armos,

Trux ruit: & ſpumans Lucanas provocat haſtas:
Saucius at telis, & cuſpide læſus acuta,
Frendet, & irarum rabido bibit ore venenum,
Attamen inſanam vecors audacia mentem
Linquit, & experto jam non venit obvia ferro.
Quod cecidit Dunquerca tuum eſt: Friburga perenne
Quod pugnæ dederit nomen: quod crevit iniquo
Gertius, & mœſtas infecit ſanguine ripas:
Ardua protendens quòd propugnacula vaſtâ
Mole Philiſburgum, Francis ſe ſubdidit armis:
Quòd Gravelina ſuis cecidit malè viribus uſa;
Curtracumque potens titulis, & mœnibus Hypræ:
Auxiliis quod freta tuis Catalaunia ſævum
Fregit, & hærentem collo decuſſit Iberum:
Quòd trepidus fluxit Tybris: quod Gallica Mavors
Signa per Allobrogum ſtupuit victricia campos.

Sed jam Francigenas pax, & tranquilla tenebant
Otia, cùm triſtis furiales arſit in iras
Tiſiphone, ſemper lætis ęgreſcere ſueta
Rebus, & impatiens felices vivere gentes:
Hæc ubi compoſito produci tempora curſu
Vidit, & antiquis aſtringi legibus urbes,
Concilium ferale vocat. Tum triſtè nocentum
Infames gemuere domus; Archeronque remugit,
Imaque terribili fluxerunt ſtagna tumultu.
Nec mora, convenere metus, livorque, fameſque,
Venit avaritiæ monſtrum: nec defuit atrox
Impietas, fœdum diſtillans virus in herbas.
Denique, quot partu nox intempeſta ſiniſtro
Edidit, innumero coiêrunt agmine peſtes.
Ut ſtetit in mediis, nutuque ſilentia juſſit

Tiſiphone, clauſum patefecit corde dolorem:
Aurea jactatis en rurſus naſcitur ætas,
Et redeunt mores terris, & priſtina proles!
En Virtus cum pace viget; Clementia, Juſque
Regnat; & erectâ Pietas cervice vagatur!
Quid referam? veſtræ vires, & veſtra poteſtas
Decidit, innatas LODOICUS deſtruit artes.
Non tulit impatiens facientem verba Megęra.
Surgit, & excutiens ſontes cervice dracones,
Huc, illuc volvens oculos, ſimiliſque minanti,
His medium dictis ſermonem abrumpit, & infit:
Quid, Germana, refers? quis nos attollere contra
Signa poteſt; propriis quis nos expellere regnis?
An neſcis me tela feri jaculaſſe Lycurgi:
Connubioque trucem matri ſociaſſe Jocaſtæ
OEdipodem? Scelerata modò te fugit Agave;
Et conſanguineo deletæ crimine Thebæ?
An neſcis me terrigenas armaſſe Gigantas,
Turbatoſque Deos titulis accedere noſtris?
Quid metuis? Vel ſola meis cum viribus orbem
Invadam, tenebriſque premam, faciamque cruore
Diſtillare diem, rorareque ſanguine ventos.
Facta puta quæcunque velis: ego Francica regna,
Quod caput, & noſtri fons eſt, & ſumma doloris,
Turbabo: nil cana fides, nil jura valebunt,
Et Regi juratus amor: quin ipſa vocabo
Ad dubiæ Regem diſcrimina dira paleſtrę:
Vix ea finierat, cùm fœdas explicat alas,
Nigraque veloces agitat per Tartara pennas.
Inde facem jactat: quæ fundę more rotatæ
Volvitur, & crebro ſimul inficit aëra gyro:
Gallorumque domos flammis, & ſanguine complet.

En

En jam civiles acies, en prȩlia rurſus
Inteſtina ſonant: rixiſque furentibus aula
Flagrat: & horribilis miſcet diſcordia Francos.
Quo vatem, Rex magne, rapis? licèt ora canorus
Adjiciat centena Deus, det barbiton Orpheus,
Claraque felices nectat mihi Mantua lauros,
Non digno tua facta queam nunc prodere cantu.
Quid primum ſtupeam? quod nil terrore coactus
Feceris indignum ſontem quod viribus hydram
Fregeris Herculeis; totumque ſubegeris Orcum?
An quod, multa licèt variâ formidine bella
Inſtarent, quæ turpè dolis Hiſpanus alebat;
Et prope caſuro nutaret culmine regnum,
Quod triſtis jactabat hyems, tua maxima virtus
Inſtar erat palmæ, quȩ tunc florentiùs exit
Cùm premitur, ſumitque novas à pondere vires?
Aſſiduâ tandem diſſolvis clade rebelles,
Evertiſque Duces, non ulli profuit hoſti
Se tuto ſervare loco, non abdier arce:
Irrita munitis cecidit ſpes credita vallis,
Jam nodis poſt terga furor devinctus ahenis
Clauditur, infeſtos vindex Rhamnuſia cives
Proterit; & Fidei ſpretas ulciſcitur aras.
At verſutus Iber, tantiſque tumultibus auctor,
Burdigalam licèt intus agat, ſtimuloſque furoris
Addat, & in varias primùm licèt irruat urbes,
Ut tuus ante oculos exercitus affuit ultor,
Non audet ſtricto trepidus concurrere ferro,
Captaque victori tibi deſerit oppida victus:
Non aliter milvus pennâ ſtridente columbam
Conſequitur, captamque tenens in terga ſupinat:
Jamque voraturus demiſſis improbus alis

Urget anhelantem, roſtroque eviſcerat unco.
Tum, ſi viſa procul, quæ fulmina bajulat, ales,
Territus exurgit ſubitò, prædamque relinquit
Projiciens: timidoque celer petit avia curſu,
Præpetis ulturos aquilæ ne ſentiat ungues.
Jam dominum manſueta ſuum te Gallia Regem
Accipit; & faſtis ſignat felicibus annum.
Et poſitis odiis, ramos tibi mitis olivę
Prætendunt paſſim cives, veniamque precantes
Fœdus in antiquum cogis: ſubductaque diris
Peſtibus indigenę reddis ſua rura colono.
Ipſa caput magni populoſa Lutetia Regni
Admittit tua jura libens, & mœnia pandit
Conjurata: pudet ſed conjurata vocare
Sed miſerum ſocios cognatis vincere ſignis
Cum foret; & mœſtas turparent funera palmas
Victori damnoſa, tibi ſincera petenda
Laus ex hoſte fuit: vero quærenda triumpho
Laurus: & externo placandi ſanguine manes
Gallorum: Motus, & belli cauſſa nefandi,
Poſcitur acer Iber, qui ſaucia victima Francis
Pendat & inferias, & digna piacula buſtis.
Extinctuſque foret; nec Iberi nominis umbra
Reſtaret, niſi te celeres delapſa per auras
Cogeret iratum Concordia ponere ferrum.
Hæc Dea ſollicitâ meditantem prælia mente
Te, LODOICE, petens, niveis circumſtetit alis:
Perque Patris cœleſte decus, magnique precatur
Per Fratris Regale caput, per Matris amorem,
Ut tandem liceat feſſis imponere finem
Rebus, & optatâ componere ſecula pace.
Creditur & placidis ſic vocibus eſſe locuta;

Quò, Princeps invicte, ruis? quò Martius ardor
Te trahit armorum, laudiſque immenſa cupido?
Supprime placato, Rex clementiſſime, vultu,
Vindictæ jam fręna tuæ; juſtoque furori
Pone modum: majorque tibi ſit gloria victis
Parcere, quàm victos unâ delere ruinâ.
Imperat abjectus generoſis hoſtibus hoſtis
Jure ſuo veniam: ſatis eſt, LODOICE, precantem
Auſtriacam vidiſſe domum; daret æmula virtus
Materiem laudis: furor eſt calcare jacentes.
Sat ferro, belloque datum: Mavorte cruento
Quid valeat tua dextra, rubens jam ſanguine Bætis
Fractaque turbati teſtantur cornua Rheni.
Adde, quod Hiſpano ſit virgo ſemine ducta
Dives Avis, Atavíſque potens (quem gentis Iberæ
Fallit honos, toto ſpargens diademata mundo:)
Hęc mihi conjugio veſtro, Rex maxime, digna
Sola reperta fuit. Meliori debita fato
Si rigido Magnum lenivit Julia patri:
Si generos, ſoceroſque truces in bella ruentes
(Non ignota loquor) mediæ flexere Sabinę
Triſtia ſidereæ componant prælia vultus
Virginis: & læto felices omine tedæ
Bellica ſigna retro vertant: & pignora miſti
Sanguinis, æternis innectant pectora vinclis.
Talibus orabat: placido tu corde precantem
Accipis: irarumque tuos jam temperat ęſtus
Pacificæ vis blanda Deæ: jam dulce Mariti
Nomen amas; poniſque animos in Conjuge pulchrâ.
Hac placuit mercede tuis abſiſtere cœptis;
Et dare cæleſtem tanto pro munere pacem.
Talis Threïcium Mavors venturus ad Æmum

Fulminat, Odryſijs minitans incendia campis:
Et jam terror Hebrum, jam Strymonis alligat undas:
Tum ſi fortè gravem ferro, vultuque micantem
Aggreditur Cypris, confeſtim languida dextrâ
Tela cadunt: Paphijs virtus obnoxia flammis
Frangitur; & roſeis miteſcit pectus in ulnis;
Torvaque ferratæ laxantur vincula frontis.
  Poſtquam facta quies armorum, partaque terris
Otia, civilem petijt tua gloria laudem.
Gradivus procul omnis abeſt: pacataque ferrum
Jam ſiccum vagina premit: jam, Pallade frontem
Auguſtam velante tibi, diſcrimine grato
Attica laurigeros inter viret arbor honores.
Sincerum jam fœdus adeſt: lætiſſima rerum
Forma viget: laceraſque diu jam, pace ſequeſtrâ
Texit amicitias, & diſſita pectora bellis
Aurea felici religat Concordia nexu;
Feſſaque ſublatis juveneſcunt regna tributis.
Jam colit intrepidus ſecura mapalia paſtor:
Et fœdata novat rubigine lætus aratra
Ruſticus: &, laxis repetens ſua prædia portis
Cogit inaſſuctos ſulcis ſplendere ligones.
Feſta per immenſos LODOICUM fiſtula campos
Intonat: & tuta modulantur arundine Fauni
Gratantes; reboatq; fragor, felixque, quod audit,
Nomen in extremis iterat convallibus Echo.
Jamque novas leges, revocans, LODOICE, priores,
Condis, & in ſeros ſcribis decreta nepotes:
Debita jamque tuis floreſcunt ſecula curis
Poſtera: nec moritur per te renovata vetuſtas.
Utque feros ad bella viros, ſic pacis ad artes
Eligis immunes ſcelerum, rectique tenaces,

Inprimiſque tuum ſervans Aſtræa tribunal,
Arcet Avaritiæ monſtrum; quod ſacra profanis
Permiſcens, nullâque ſatis placabile prædâ,
Fana, domos, agros, urbes, ac oppida vaſtat.
Non equidem de more ſuo fora garrula ſub te
Confundunt fas, atque nefas: non jura ſiniſter
Inquinat interpres: non callida retia tendit
Cauſſidicus, cęcâ leges ambage revolvens.
Tota libidinibus purgas ſubſellia: præceps
Non odium, non ira minax, aut neſcius æqui
Juſtitiam deformat amor. Te Principe, verum
Eruitur tenebris; & nullo pallida fuco
Stat Themis; at recto ſuſpendit pondere lances.
Auctor virtutum fulges; exemplar honeſti
Irradias populos, ſtat, te cuſtode verendo,
Intemerata fides: concedis juſta roganti;
Et deforme negas: non te favor anxius aulæ
Sed te jura movent: qua ſint virtute requiris,
Non genus, unde ſati: magna non ſtirpe merentur,
Sed meritis cives; libat quoque munera pauper.
Nec mores noſtrique rapit te turbidus ævi
Gurges ad exemplum: neſcis benefacta morari:
Scis benè, Rex Auguſte, tuis non dona placere,
Quæ mora corrumpat: prævertis munere tempus
Providus: & ſocij promiſſa ſequuntur honores.
Quin fingenda putas generoſa vocabula, magnos
Quæ faciant animos, & poſſint tollere mentes,
Et quibus oblati geminetur gratia præmî.
Principe Te, pariter felix, & pauper; in unum
Incumbunt ſtudium; nam, quæ debentur honeſtis
Artibus, ambitio, nec dives inertia captat.
Nil licet invidię, nec iniquo venditur auro

Judicium; nullam ſub te paſſura repulſam,
In medio probitas expectat munera campo.
Non Reges pia Roma ſuos, ſed preſſa tyrannos
Odit: ab Elyſijs veniat ſi Caſſius oris,
Si Cato nunc veniat, Te, ſacratiſſime Princeps,
Optarent perferre Ducem: colloque volenti
Brutus uterque tuis ſervitum legibus iret.

Inclyta per memores vivent præconia faſtus
Cæſaris Auguſti, non tam, quòd ſignâ moventem
Indus, & undanti tellus circundata Nilo,
Nec non Hercynij ſaltus, extremaque Calpe,
Et Latio madidæ tremuerunt ſanguine Carrhæ,
Reddiderit cùm ſigna Jovi captiva Phraates,
Sed quia devictos eſſet tam lenis in hoſtes,
Ut malè pacatos ferro, pietate domaret.
O quem te memorem, Rex clementiſſime Regum;
Circum victrices quercus cui civica lauros
Enitet; & duplici fulget coma nexa coronâ!
Cui Regi vindicta minor? cui rarior unquam
Ira domi, gladijque fuit cui parcior uſus?
Regali quoties poſuiſti fulmina dextrâ
Jam vibranda! fuit ſatius potuiſſe nocere
Non vi nixa ſuâ, ſolo terrore poteſtas
Imperet: & demens tumidas deſpumet in iras:
Te pius armat amor: placidique modeſtia vultus
Flectit in obſequium cives: tranquillaque morum
Temperies, probitaſque timore valentior omni,
Eſt populi cenſura tui: tua vita, tuumque
Sufficit exemplum: quis enim ſub Principe tali
Audeat eſſe malus? pœnas, aut damna putabit
Quis graviora, pio quàm non placuiſſe Regenti?
Sed quia laxa nimis, vitioque ſimillima virtus,

Quod non ulta ſinit, ſuadet Clementia crimen,
Regia diſtrictâ defendis jura ſecuri.
Jamque dolos fraudeſque domas, fraudumque magi-
ſtros:
Attamen injuſtæ ſpernis mendacia famę,
Rumoreſque vagos ſuſpectaque crimina multùm
A veris diſtare putas. Spes certa futuræ
Si valuit vitæ culpam purgare vetuſtam
Profuit: atque reo veniam Clementia parvo
Thure rogata dedit: gravior quoque pœna merenti
Pœnituiſſe fuit. Verùm ſi mole coactus
Criminis, ulturâ deſcendis ad ultima dextrâ:
Quod punis, prior ipſe doles: & more medentis,
Ne funeſta lues, & pars infecta, valentes
Debilitet partes, & ſanos polluat artus,
Conclamata ſecas, ſed cauto vulnera ferro,
Sincerum ne fortè trahat, nimiúmque ſecando,
Excedat medicina modum. Quæ diſſona ritu
Barbaries, olim privato ſæva duello
Impoſuit titulos, & falſi nomen honoris,
Nec ſemel illuſtri tepefecit ſanguine campum;
Non contenta truci rabies famoſa nefandum
Flagitio mandare decus, ſcelerata vocabat
In ſua damna pari reſperſos crimine teſtes:
Nam, quamvis expers dira ſpectator arenæ
Eſſet diſſidij, ſontis faſtidia viſus
Verterat in propriam per mutua vulnera cędem.
Iſta diu Gallas nimiùm bacchata per urbes,
Legum contemtrix, & pœnis bellua major,
Opprimitur virtute tua; tandémque barathro
Redditur; & fractis multùm gemit horrida telis.
Hæreſis opprimitur Francis Janſenius oris

Exulat; & nullos potitur Calvinus honores.
Hanc autem veterum peſtem conſumere Regum
Quis potuit; tantiſque malis imponere finem?
Nonne renaſcenti Lernæ pollentius angue
Extulit orta caput: fœcundaque vulnera, nonne
Altera pro membris eduxit membra reciſis?
At tu ſumme Ducum, Regum ſanctiſſimus idem,
Dum te cura Dei, ſtudijſque potentibus urget
Relligionis amor, felicior Hercule, monſtrum
Subcreſcens per damna, domas; fœtuque revulſo,
Quot peperit paribus damnas fera colla ſepulchris.
Auſpice Te, vero coëuntia numina ritu,
Ad patrias venere domos: tua regna relinquit
Vana ſuperſtitio, ſacræ reverentia legis
Obtinet, & priſcos populi revocantur ad uſus.
Diraque privatæ fugiunt contagia ſectæ.
Felix imperij facies! felicia regna,
Quę pietas, quæ Relligio, quæ prima tuetur
Sacra Fides! Similem quæ Regem protulit ætas!
Ullane poſteritas credat? Dunquerca ſub armis
Capta tuis olim, quam, propter pacta Britanno
Tradideras, modo Templa pio colerentur honore,
Nullaque ſentirent veteris diſpendia cultus:
Sacrificas poſtquam violans ſectarius aras,
Contempſit Superos, & mutua jura fefellit,
Ingenti mercede tibi, magnoque redemta
Eſt pretio. Nunquam tantæ data copia laudis,
Nec majore fuit virtus exercita campo.
Quid mihi nunc veteres attollant Perſea vates,
Quem delira refert: occiſo fabula, monſtro,
Aſſeruiſſe truci perituram morte puellam?
Cùm Tu non unam tantùm, Rex inclyte, vitam,

Sed prope tartareis revoces de faucibus urbem.
Jamque Deum, cœlumque jubes, ac templa reverti
Civibus: & puro luſtrantur carmine Divûm
Limina: divino ſpirant altaria fumo,
Sanctaque puniceis conſurgit floribus ara.
Quis vacuum curis, quis te, LODOICE, remiſſum
Cernere mente poteſt? quoties nox ipſa labori
Additur; & placido furaris tempora ſomno!
Non tibi pigra quies, aut, parvo fœdere, ludi,
Aut epulæ fecere moram: quę tempora paci
Conveniant, ſævo quę ſint accommoda bello
Dividis: & vaſto, præluſtria, magnaque ſemper
Pectore quæ volvis, non te, Rex magne, retardant,
Quominus & parvis poſſis advertere mentem
Rebus; &, imperij nuſquam ſtatione relictâ,
Singula ſolerti valeas perpendere curâ.
Hinc noſcis quid quiſque paret: quæ cura Britannum
Sollicitet: num bella coquat; num fœdera malit
Pacis Iber: molli quæ fraus infida Batavo:
Si nova molitur Germanus prælia: cautus
Cuncta prius, quàm geſta, vides: arcana pateſcunt
Ipſa tibi Regum, ſceleriſque cubilia tecti.
Hinc ſecura dolos, parvoque pericula flexu
Mens tua declinat: capitique minantia fata,
Et fugit obſcuras vigil hinc induſtria fraudes:
Taliter excelsâ prudens in puppe magiſter
Cognoſcit per ſigna polum, ſentitque propinquum
Æthera, venturumque diem fluctuſque futuros:
Et dare vela modò, tutos modò quærere portus
Imperat: & certo torquet moderamine clavum,
Nullaque fallacis metuit diſcrimina ponti.
Rurſus nemo tuos par eſt penetrare receſſus

Quæque facis, niſi facta, videt: ſoluſque recludit
Eventus tua ſenſa: adeo mens alta profundum
Conſilium ſanctis occultat opaca tenebris!
Non tibi Roma ducem (quantum vis priſca revolvas
Clarorum monimenta virûm) neque Græcia Regem,
Quem componat habet: fiet quæcumque poteſtas,
Nunc tecum collata, minor: ſic ſolis ad ortum
Stellarum lux omnis hebet: ſic æmula, viſo
Fratre, tenebroſo palleſcit Cynthia vultu.
Nutu penè tuo totus cum pendeat orbis,
Es belli, paciſque potens, & es arbiter ævi.
Ipſi nil faciunt ſine te laudabile Reges,
Utiliter ve; tibi, ſi quid fecere decorum,
Vertitur, & laudum pars eſt non parva tuarum.
Quin etiam Fortuna, tuis obnoxia juſſis,
Res lætas, triſteſque tuo pronunciat ore.
Felix, cui placidi dedit indulgentia fati
Arma tuis armis, & dextræ jungere dextram.
Qui te demeruit ſocium, Rex maxime Regum,
Hunc Fortuna comes, Victoria, fata ſequuntur.
Si mihi nunc totas Helicon indulgeat undas,
Sunt quæcunque manu per te fundata recenti,
Aut quæ priſca nimis, vel jam caſura ruinis
Eripis, & renovans, operis ingentibus auges;
Singula non valeam memori deſcribere verſu.
Dicere ſi conor villas, prætoria curis
Inſtaurata tuis, poſcunt ſibi carmina moles,
Et domiti nova clauſtra maris, quibus arcta laborat
Tethys, & abrupti repetunt confinia montes.
Scribere ſi tento, quòd das nova litora ponto,
Naturâ famulante tibi, fluvijſque coactis
Currere quà jubeas, pelagus committis utrumque;

Jam vatem revocant arces, & mœnia pinnis
Horrida; quò Rhodopen Mavors, Liparamque peroſus
Mulciber, & ſpretis, migravit Pallas, Athenis:
Jam rapiunt ſibi templa lyram, quæ finibus orta
Exiguis, nunc aſtra petunt, & turribus altis
Ardua, ſiderei faciunt commercia cæli.
Quid loquar indutos ſpolijs hoſtilibus arcus,
Quos factos à ſole putes: ubi multa politur,
Atque tuos manſueta Paros torquetur in uſus;
Iridis in ſpeciem ſe ſe lapidoſa figurat
Machina, victuris ubi nunc tua gloria ſaxis
Texitur, atque tuis titulis inſcribitur aër.
Quid loquar Attalico conſtructa palatia cultu,
Marmore quæ ſecto, quæ Lydo pulchra metallo
Anteeunt candore nives, & lumine ſolem?
Ipſa per immenſos fundi pomœria fines
Sequana miratur, longo ſtupet ordine pontes:
Pariſijſque novas urbes miratur in urbe.
Denique quod paſſim meliori ſplendet amictu,
Munus, opuſque tuum eſt, muri navalia, portus
Manſura te voce canunt: & laudibus ipſi
Incumbunt lapides; & habent quoque marmora linguas.
Magnarum non parcus opum, nova limina Muſis,
Et delubra locas, deſpectaque colla Minerva,
Te fautore, levat. cunctas diſcentibus artes
Proponis. Jam docta tuo Sorbona favore,
Et Biturix domus alta, viget: facunda Toloſæ
Pulpita te reſonant: digno canit ore Cadomum:
Intonat Andegavum; reſpondet Picto: nec arces
Aureliæ, LODOICE, tacent; ſed, voce diſertâ,
In tua centenas ſolvunt præconia linguas.

Ingenijs hinc certus honos; hinc certa merenti
Dona patent: ultro quærunt jam præmia Muſas;
Nullaque creſcentes paupertas obruit artes.
Hinc Montoſerius, Charites quem matre cadentem
Excepere ſinu: cujus ſub fronte Minerva
Prodigioſa latet: pariter quem robur in armis
Nobilitant, in pace fides: tua pignora dignus
Solus habere, rudes formareque Principis annos.
Hinc, Condomenſis decus immortale Lycæi,
Conſilijs, ſtudijſque potens; quo judice, tota
Barbaries proſcripta jacet, Boſuetius: hinc tu
Præſul Apollineæ divinus Huetius aulæ.
Felices ambo: grandi quos Gallia partu
Edidit; Auguſti quos gloria clarat alumni.
Auſpice te, pulchris ſudantia præla figuris,
Magnificum ſpectamus opus. Non largius uſquam
Majeſtas eduxit opes! quid Græca vetuſtas
Continet, & quicquid Romanis pagina libris
Ornatu potiore viget. Regale volumen
Expectamus adhuc: quo, te ſcriptore Camænæ
Aurea perpetuis ſacrent tua tempora faſtis

Sed rurſus me bella vocant: nam cardine verſo,
Stridula ferrati Gradivus limina Jani
Pandit; & aſſenſu reſpondet buccina rauco.
Nunc, ô Calliope, nunc, ô Regina canendum eſt
Ore tuo: quis enim LODOICI prælia dictis
Æquabit mortale ſonans? Age, Diva, relinque
Barbiton: & quæ bella manu, quæ moverit arma
Inflatâ molire tubâ. Prior excitat iras
Infando, Rex magne, tuas Lotharengius auſu;
Mutua nam contra, jurataque pacta rebelles

Impulit : atque tuo depulſo milite, ſolus
Marſaliam retinere (nefas) & judice ferro,
Pellere ſervili tentavit vincula collo.
Hic ubi, Magne, tuas rumor pervenit ad aures.
Tardius hirſutos cogit Gradivus in hoſtem
Biſtonas, & pictos, pharetra pendente, Gelonos:
Impaſtuſque leo montano fertur ab antro
Tardius ad caulas, quàm tu rapis agmen, & urbi
Improviſus ades. Non ſic Jovis alite candens
Horreſcit veniente cycnus; nec ad ora mariti
Territa deprênſo palleſcit adultera furto,
Ut Lothari, quamvis incluſi mœnibus altis,
Aſpectu ſtupuere tuo: non arma rebelles
Expediunt : fractæ languent ad prælia vires.
Hærent attoniti : nec ſe ſe turribus audent
Credere, nec foſſis, nec tutis aggere muris.
Quin etiam ſua fata tuo Dux ipſe, fidemque
Carolus in gremio ponit : portiſque ſolutis
Deditur, & vultu depoſcit ſupplice pacem.
Non licet hoc parva, LODOICE, relinquere laude,
Quod non aſſiduis faceret Dux alter in armis,
Hoc ſimplex tibi præſtat iter, reverentia præſtat
Sola tui : vix arma paras-jam nomine vincis.
Credere quis poſſit? bello prope contulit idem
Principium, finemque dies. Optare triumphum
Non aliud, quàm ferre, fuit : quàm, vincere, velle.
  Utque tuę laudis mundi pars nulla vacaret,
  Nequa foret pars ulla tuis intacta triumphis,
Egregium, Rex magne, tibi regione remotâ
Nutrivit Fortuna decus. Nam proſpera belli
Odryſium poſtquam Regem fecere ſuperbum
Millia terribiles moverunt agmina Turcæ

Pannonicis funeſta plagis: animiſque furentes,
Non, niſi devicto, jurarunt, Cæſare, ferrum
Ponere, converſo retro neque cedere curſu.
Præcipites in bella ruunt: non clauſtra ruentes
Silvarum, rupeſque cavæ, non arduus altis
Detinet Iſter aquis, tutis non Arrabo ripis.
Non ſic intremuit mundus cùm bella pararet
Oſſæâ de rupe Mimas: natiſque ſuperba
Terra ſuperpoſitum trux conjuraret in orbem
Utque (ferunt) unum, tantis exterrita monſtris
Reſpexit natura Jovem; votiſque popoſcit
Fulmina, veſanos ſolùm domitura gigantas:
Sic, LODOICE, tuam pavido Germania vultu
Quærit opem ſupplex, implorat & anxia numen.
Flammaris virtute piâ (celeberrima laudum
Argumenta cano, ſi quid mea carmina poſſunt,
Nulla tuum hoc facinus, Rex maxime, neſciet ætas)
Auſtriadum te damna movent: pia tangit acerbus
Corda dolor, qualem, Princeps te magne, decebat
Chriſtiadum præſtare malis. Jam, milite lecto,
Colliniùm properare Ducem, molemque labantis
Imperij fulcire jubes. Volat ille citato
Vectus equo. Signis ut vidit Lilia Viſir,
Gallorum gentile decus, ſub pectore furtim
Horruit (uſque adeo Superum contemtor ab alto
Franciadum Rectore timet!) totidémque putavit,
Quot veniunt Galli, campis erumpere mortes.
Ipſa moleſta ſibi Turcarum diſſona moles
Fuſa cadit; ſparſique ruunt ſine lege manipli.
Quid faciat flammis obſeſſus, & undique telis
Turca miſer; cui nulla fugæ, cui nulla ſalutis
Copia? pars Gallum conſumit ſaucia ferrum,

Sulphureo pars igne perit, pars gurgite cæco
Mergitur. Ipſe caput per mille cadavera tollens
Danubius, fluctuſque novos, & ſtrage cruentâ
Miratur creviſſe vadum. Germania Divis,
Auſpicijſque tuis lętum ſervata triumphum
Odryſiâ de gente canit: multâque remittit
Laude domum, Thracum ſpolijs, lauroque decorum
Colliniun. Nunquam pugilem ſic palma reduxit
In patrias Elea domos: nec pulvere talem
Piſa, nec Iſthmiacis claravit Græcia ludis.
Tu quoque Regali cumulum Brabantia laudi
Adjicis: & Superûm nutu, pronoque favore,
Gallica devicti fiunt provincia Flandri,
Nam, poſtquam, LODOICE, tibi cunctator Iberus
Hannonios tractus, Brabantinoſque negavit,
Queis uxor dotanda fuit, tu, conjugis ultor,
Omnibus oblatum, violato fœdere, bellum
Aggrederis votis; &, flammæ more triſulcæ,
Quæque repentino proculcas obvia curſu.
Nulla tuum, Rex magne, valet fortuna tenorem
Rumpere; non ullis hęret tua laurea nodis.
Ipſa ſuos numeros pręceps Victoria miſcens
Neſcit, & attonitas Famæ prævertitur alas.
Quin etiam, curſu dum te ſequeretur anhelo
Conſtitit, & laſſis ſtupuit Bellona quadrigis.
Quodque velis te poſſe videt. Non mœnibus altis
Ingeniove loci, fuerat Neptunia Troja
Defenſata magis, quam Palladis aula Duacum,
Quàm Baſſæa ferox, quàm, quæ de nomine priſci
Carli nomen habet; qua plurima currit in orbem
Machina, ferratis ubi tot munimina clauſtris,
Tot circum caſtella patent, metuendaque tantis

Culmina militibus: tibi, Magne, tot oppida (mirum!)
Perpauci tribuere dies. His nobile bello
Tornacum, & pinnis horrentia mœnia Bergæ,
Sævaque captivo ſimul Armentaria Liſâ
Additur: atque jugum quondam quod ferret Iberum,
Obſtaretque tibi, claro confeſſa pudore,
Mœſta catenato conjungitur Inſula Deulâ:
Et tua neglectis veniunt in jura Philippis.
Sed jam tempeſtas gravior conſurgit in ipſis
Viſceribus Belgî. tandem tibi debitus hoſtis
Accidit, antiquo fatis promiſſus ab ævo.
Ergo viros ad ſigna vocas. Quot ſede volentes
De patriâ virtutis amor, quot compulit ardor
Bellicus! Æratâ nimiùm metuendus in haſta
Advolat Helvetius; jurataque pectora Marti
Indomitos Cattos, immanſuetoſque Cheruſcos
Belli rumor agit: properantibus undique ſignis,
Cincta Caledonijs accurrit Hibernia caſtris.
Taurini venere truces, quos rauca ſonantis
Educat unda Padi: priſcæ bene cognita Romæ
Agmina fulmineus duxit crinita Suecus.
Præterea, quæcumque tuo gens Gallica nutu
Stringitur, advenit; revocaſque ferocis ad uſus
Martis in externo ſudantes pulvere turmas,
Quas fera perpetuis aluit Bellona triumphis.
Ante tamen quàm caſtra moves, impellis ituros
Talibus: O ſocij, non vos, quòd munere noſtro
Spiret adhuc. quantumque meis gens dira Batavûm
Sit meritis aſtricta, latet: teſtantur Iberi;
Scit mundus, quis enim trepidum, niſi Francia, Belgam
Texit, & Auſtriacas armis compeſcuit iras?

Sed poſtquam latebras, Cilicum de more, relinquens,
Ex raptu ſibi quærit opes; & claſſe nefandâ,
Qua roſeos Vaſcus Phæbi ſurgentis ad ignes
Famoſum patefecit iter, ſtirps impia ſecum
Ferre reluctanti peregrina piacula ponto
Audet, & extremis affigere ſigna Molucis,
Noſtrum adeo munus pravo corrupit abuſu,
Ut me jam pudeat Batavos juviſſe; meiſque
Iraſcar meritis; & me mea dona fatigent.
Communis me cauſſa movet: tot regna, tot urbes
Ludibrio, prædæque datæ! quod flumine Ganges.
Ambit, & Eoo quicquid circundatur Indo
Hujus erit prædonis ager? Quin æquore portat
Gens fœcunda mali Calvinæ ſemina flammæ:
Totquę vehunt pelago Batavi, quot carbaſa, peſtes.
Nec ſatis infando fuit hæc feciſſe latroni,
Sed cumulo ſcelerum fœdum ſuperaddere crimen:
Pergit adhuc; nimiumque tumens jam Regibus audet
Se jactare parem; probriſque, armiſque laceſſens,
Jam ſceptris inferre minas: jam fronte procaci
Ex æquo me Belga petit; quid quæritis ultra?
Quin, ſi læſus honos, ſi vos mea fama remordet,
Oſtentate mihi: gladijs arcete pudorem.
Sternantur viles animæ: moriatur ad unum
Hoſtis; & infernis purgetur peſtibus orbis.
Hoc polluta Fides, hoc vos deſerta precatur
Relligio, Pietaſque genis humentibus orat:
Hoc Majeſtatis poſcit deriſa poteſtas,
Et decus imperij, ſpretique injuria ſceptri,
Non, niſi profuſo Batavûm, delenda, cruore.
Nec vos, Italiam moveat quòd Barbarus omnem,

Territet; aut juncto Germania tota feratur
Milite; tranſlatum vel ſentiat Amſtela Bætim:
Nec quod velivolâ conjuret Dania claſſe,
Finitimo cogente metu; genteſque remotas
Traxerit, & gelidas in nos transfuderit Arctos:
Nam rudis, & tantùm noſtros auctura triumphos
Congeries, infirma ligant quam vincla timoris,
Et malè communis nectunt commercia culpæ,
Feſſa ruet cum mole ſuâ: nec forma, nec ordo
Agminis abſimiles inter; quos triſtia ſecum
Involvunt miſeros perituri fata Batavi.
Quare agite, ô ſocij, toto deſcendite ferro
In jugulum Belgî: rebus latura ſalutem
Et mihi vindictam, lætam victoria pacem
Sanciet, & toti mercabitur otia mundo.
Vix ea, nunc pediti, nunc miſtus equeſtribus alis,
Edideras, animos ſtudijs audacibus implens,
Cùm juſſę cecinere tubæ: poſcentia bellum
Signa moves. Quæ prima meis, quæ prælia dictis
Poſteriora canam? laudum creſcentibus undis
Obruor, innumeris nequeam perſtringere linguis
Singula, Pierios laſſant vel pervia curtus;
Ipſaque defeſſum reddunt proclivia vatem.
Cedant, Druſe, tuæ, cedant, Germanice, laudes.
Quę jam poſteritas, quę jam mirabitur ætas
Scipiadas, vetereſque duces, quos priſca ſonorâ
Vexit fama tubâ? Si debellata Saguntus
Erigit Annibalem; commendant pauca Camillum
Mœnia: ſi Grajos illuſtrant Pergama fratres,
Quem te, Magne, loquar! Non eſt magis apta triumphis

Materies, quòd Rheſa tuis, quòd & Embrica juſſis,
Orſojumque ferox, & quod Veſſalia ſçvi
Mavortis fœcunda domus, ſine cæde ſubacta
Serviat; atque latus ſubdat tibi Rhenus utrumque.
Quod Rhimberga cadat, ſoloque timore Buricum
Corruat, ante lues validos quàm flammea poſtes
Panderet; aut tectus laſſaret mœnia foſſor?
Nec votis ea præda ſatis: ſucceſſibus ultrà
Succeſſus urgere novos, & prçlia bellis
Accumulare paras: neſcit manſueſcere virtus
Vivida, dum Batavos, totumque à ſtirpe revellas
Exitiale genus. Penitus feritate remotâ
Doſburgum, Druſi labor, & Deventria veſtro
Additur imperio. Kempénque Zuólque minantem
Propulſare timent: viſam non ſuſtinet umbram
Ferrea Grolla tuam: tantarum conſcia rerum
Dat victas Arnhema manus: reſerata pateſcit
Knoſemburga tibi: cedit Zutphania, nec non
Neumagus, & portis veniam bipatentibus orat.
Quid vos divitiæ, quid vos quæſita rapinis
Vis auri poſſeſſa juvat, miſeræque pudendus
Libertatis amor; quid belli nobilis ardor,
Et Tarteſſiacç contemtrix dextra coronæ,
Degeneres Batavi? LODOIX vos, Gorgonis inſtar,
Aſpectu terrere poteſt? ſine vulnere muros,
Nec dum tentatas trepidi recluditis arces?
Nec fera, quantumvis valido munimine vincat
Mœnia, quæ quondam ſcopulis venientibus ultro
Dircæus conſtruxit Olor, notiſſima famâ
Schenchia, Naſſoviûmque decus; qua Rhenus amico
Cum Vahali partitur aquas; & flumine ſecto,

Diſſita ramoſi faciunt divortia fluctus
Vix audet te ferre die: civeſque fatentur
Undoſam nil poſſe fidem. Tua juſſa capeſſit
Nobile Trajectum: timuit quem nuper in armis,
Subdita te placidum ſentit Bommelia Regem.
Quis tibi tunc, Hollande, metus, cùm proximus urbi
Amſtelię fumaret ager; cùm claſſica jam jam,
Ignitoque minax inſtaret machina plumbo,
Vix muris toleranda lues? Hya, flumine preſſo,
Hæſit; & attonitis expalluit Amſtela ripis.
Non patrię communis amor, non pignora cives
Præcipites ullâ poſſunt ratione morari:
Tantum quiſque fugit, quantum timet: eſt ſua cuique
Formido menſura fugæ. Tibi, Magne, cruentis
Non opus eſt armis: urbes tua fama recludit.
En nova bellandi ratio, nam fallere gaudens
Hiſpanâ levitate fidem, ſociare catervas
Hollandis conatur Iber: curatque rebelles
Immemor ipſe ſui. Jam Carli perfidus urbem
Obſidione premens, crebro quatit ariete muros,
Non canens te gleba gelu, brumaleq; tardat
Sidus, ad inſanos Martem convertis Iberos.
Et quibus infandi ſuberat fiducia cœpti,
Te viſo, LODOICE, cadit: paucisque diebus
Aſſeris obſeſſos: cumulaſque trophea trophæis
Victor: & emeritis attexis gramina lauris.
Aſt aliò te bella vocant: tua gloria finem
Neſcit, & eventis ſatiari fama ſecundis.
Mens cognata polo quicquid ſibi fingit ab armis
Impetrat, & famulis parent tibi ſidera fatis.

Æternum Mavortis opus, quod Moſa fluentis
Dives, & Hollandos inter non ultimus amnes
Alluit: & foſſas immanibus obſtruit undis,
Trajectum: valido moles quod ſaxea muro
Circundat, centumque tegunt munimina vallis:
Reddit & obtutu mirabile quicquid in hoſtem
Bellatrix doctrina parat: vel more coronæ
Surgat opus: vel creſcentis ſit machina lunæ
Expreſſura modum: longo vel forfice gyros
Ingeminent cornuta pares: vel imagine parmæ
Agglomeretur humus: ſuper his tum robore pubis
Et rectore ferox, audet tibi claudere portas
Urbs nocitura ſibi. Sed tu commotior hoſtes
Ferris in obſtantes: diſcuſſoque aggere, muros,
Enſe viam faciente, ſubis: Batavoque retuſo,
Gallica captivis attollis Lilia pinnis.
Nil Condate, tibi naturâ tutus, & ipſâ
Profuit arte locus, quamvis adamante rigentes
Diruta proſtratos miratur Omaria muros.
Ne quicquam validas turres Cameracus, & arces,
Et rapidum damnat Scaldim: non obice Liſę
Gandavum te arcere poteſt, celſâque minantes
Mole Valencenæ, priùs hic te vincere noſcis,
Quàm viciſſe velis: adeo bene fata merentur
De te, Bellipotens, ut non ſemel incita votum
Prævertat Fortuna tuum: credantur, & ipſi,
Te duce, lætari ſibi ſucceſſiſſe triumphi.
Pugnanti favet omne ſolum: non oppida tantùm,
Non urbes, ſed regna ruunt, conamine primo
Alſatiæ cecidit robur. Burgundia fractum
Summittit tibi victa caput: maculamque potenti

Urit, & Auguſtum titulum ſubducit Ibero.
Munera Fortunæ merito, clariſſime Ductor,
Et cęlo te fata beant; ſed dignius aſtris
Et tua te virtus æquat, verique labores.
O quoties, Dux ſumme, tibi lorica jacenti
Et clypeus ſtravere torum: quotieſque cubile
Aſpera brumali conceſſit tempore ſilva!
Nec ſemel attonitus, Nymphis monſtrantibus, hæſit
Faunus: & exiguam, totus quem non capit orbis,
Obſtupuit cepiſſe caſam; quotieſque, marito
Pallida Regales oſtendit, ruſtica vultus?
Mos tibi ferventes durâ ſub caſſide ſoles
Suſtinuiſſe fuit; criſtato ducere noctes.
Denique ſi campo, pugnam committis aperto;
Tu cunctis ſimul eſſe locis, certamina primus
Exemplo, non voce ciens: comes ire periclis:
In medios te ferre globos: nullumque negare
Diſcrimen tentare tui: proprioque ſodalem
Nomine quemque vocans, & qua jam deficit ordo
Agmina reſtituens, turbataque cornua firmans,
Ire vagus cuneos circum, luſtrare maniplos
Fervidus; & ſummis adnixus viribus, hoſtem
Pellere, nutantes dictis animare cohortes,
Hortarique ſimul vitam pro laude paciſci.
Cuncta quidem veterum revocas, fortiſſime Princeps
Nomina Borbonidum, titulisque ingentibus auges.
Quin etiam tua facta Pater lætatur Olympo
Eſſe ſuis potiora videns: ſic Ægea fortis
Exhilarat Theſeus: nato ſic cedere Peleus
Geſtit, & à magno vinci ſe gaudet Achille.
Non mihi, quantumvis eſſet vox ferrea, poſſem

Omnia complecti, quæ, te ſul
Gallorum, magnique
Quorum jure tuis, Rex præ
Laudibus involvis: nam quis tot in or
Auſpicijs quæſita tuis, fatiſque ſecund
Carmine ferre queat? quantâ vi
Frater, & objecti truncet fera
Quis meritum, Condæ, tuum:
Prælia narrabit: montes, cumuloſq
Stragibus, & crebro ſurgentes funere valles;
Quis canet Enguienum; cujus victricia ſenſit
Claſſica Limburgum? Quantus ſit Marte Turenus
s Lotharum, Caperæque duces, s dicite Rheni
cruentatis ſpumantes fluctibus undæ.
, devicto, veniet par, Maxime, vates
Friburgo: qui tot conatibus hoſtes
unc cæde capis? quis victa Pyrenes
a, Cerdanos Francorum in jura redactos
Navali virtute feret? quæ plectra ſonabunt
Prælia Schombergi, toto celeberrima mundo?
Quis tua Marmaricę Vivonius arbiter undæ
Intonet: & Siculum lituis navalibus ardens
Æquor, & obducto concretos ſanguine fluctus:
Et merſas Batavûm naves, Ruterumque fugatum,
Mox cæſum narrare queat? quæ carmina donem
Luxemburge tibi; felix cui Gallia debet
Anglorum nil poſſe manus, licèt, arte malignâ,
Tuta repentinis invadant agmina caſtris?
Qua dicam te, Stræe, tuba, cui paruit ipſe
Heſperus, atque novus juravit fœdera mundus?
Sed quid ego! num tanta rudem fiducia mentem

gus decurrere cymba
lvere facta
teges denſiſſima laudum;
um mihi naſcitur argumentum.
chelyn, jam lampada feſſus
ris cui ſceptra ſonori
pinet Hyantida Clio.

FINIS.

PERMISSION.

Permis d'imprimer. Fait ce dix-huitiéme de Mars mil ſix cent quatre vingt-quatre.

Signé, DE LA REYNIE

1056.2
Z

99 958570